MEMORIALE

PRO SORORIBUS MINORIBUS Inclusis Monasteriorum Galliæ, Ordinis sancti Francisci, ab Urbano Papa IV. institutis in regno Franciæ.

SANCTUS Franciscus Ordinem suum sub lege paupertatis Evangelicæ feliciter fundavit anno 1212. Post sex annos fundationis sui Ordinis invenit virginem prudentem & fortem, Claram nomine, Assisiatem, cui regulam tradidit, sub qua se Deo mancipavit, & in civitate Assisii fœmineum Conventum auspicata est. 26

Sancta Clara dum vixit sequuta est Regulam sancti Francisci, & in fragili sexu docuit firmitatem & robur inveniri, adjuvante Christo.

Verùm cùm Summis Pontificibus visum esset hanc vitæ austeritatem vix cum infirmitate sexûs posse compati, & durum aliunde esset recludere Moniales pauperes, quæ victum ostiatim quærere cogebantur; placuit Innocentio IV. & Alexandro IV. Summis Pontificibus primam regulam paululùm mitigare: sed hæc mitigatio certis regulis nondum definita erat. Res ad suum exitum perducta est sub Vrbano Papa IV.

His temporibus regnabat apud Gallos Ludovicus IX. qui deinde in Sanctorum numerum relatus est. Ejus soror



Iſabella cognominata, ſe in Monaſterium, quod vulgò *Longchamp* vocatur, tunc dictum Humilitatis beatæ Mariæ, animo pietatis recipere voluit. Quod impulit Ludovicum Regem inſtare apud Vrbanum IV. ut duritics & auſteritas regulæ mitigaretur.

Annuit votis piiſſimi & Chriſtianiſſimi Regis Summus Pontifex, & Bullas ſuas expediri curavit anno 1263. in quibus de precibus ei à Chriſtianiſſimo Rege porrectis fit mentio; quibus quidem Bullis, Monialibus Longi-campi prope ſanctum Clodoaldum fundatis vitæ regulam minùs ſeveram dedit.

Hæ Bullæ, quarum originale adhuc apud prædictum Monaſterium ſervatur, ſic ab Vrbano IV. precibus Chriſtianiſſimi Regis condeſcendente conceſſæ, Compacti vim debent habere inter Sedem Apoſtolicam & Reges Chriſtianiſſimos.

Inter cætera prædictæ Regulæ capita cavetur ut dictæ Moniales, quæ Sorores Incluſæ Minores vocantur, in omnibus ſubſint regimini Generalis vel Provincialis Ordinis Fratrum Minorum. Inſuper ſtatuitur quòd officium Abbatiſſæ ſubeſt electioni Conventûs liberè, & confirmatio ſeu amotio pertinet ad dictos Miniſtros Generales, vel in eorum abſentia ad Provinciales, ad quos, ſecundùm ipſiſſima Regulæ verba, ordinatio ſpectat hujuſmodi Ordinis, regimen, viſitatio, correctio, necnon reformatio.

His auſpiciis hic Ordo floruit, & à fundatore ſuo denominationem mutuatæ ſunt dictæ Sorores, & vulgò Vrbaniſtæ nuncupatæ.

Cùm hæc Regula non eſſet ſpecialiter facta pro Monaſterio *de Longchamp*, ſed etiam pro omnibus aliis de

novo fundandis & plantandis, quæ prædictæ Regulæ se vellent submittere, ut statutum est in tribus dictæ Regulæ articulis; accidit ut brevì pleraque Monasteria sub eadem lege constructa fuerint.

Inter alia celebriora extat Monasterium sancti Marcelli prope Parisios, Nongentii, Altaldi, & de Moncelo, quæ quatuor ab iis de gente & prosapia sancti Ludovici Regis Christianissimi fundata sunt. Prædicto Monasterio sancti Marcelli à Nicolao Papa IV. ejusdem regulæ participatio indulta fuit speciali ad id Bullâ concessâ ad instantiam Regis Christianissimi Philippi Pulchri nepotis dicti sancti Ludovici, & Margaretæ, Mariæ & Ioannæ Reginarum Franciæ, sexto Kalendas Augusti, Pontificatus dicti Nicolai IV. anno secundo.

Deinde per aliam Bullam sub data XII. Kalendas Ianuarii, Pontificatus verò dicti Nicolai Papæ IV. anno quarto, idem Nicolaus Papa pædictum Monasterium sub speciali Sedis Apostolicæ protectione suscepit, & specialiter statuit ut in posterum obeunte ejusdem Monasterii Abbatissa, nulla ibi quâlibet subreptionis astutiâ seu violentiâ præponeretur, nisi quam Sorores communi consensu, vel earum major pars consilii sanioris secundùm Deum & prædictam Regulam providerint eligendam.

Eadem lex aliis Monasteriis & idem privilegium à Summis Pontificibus concessum est. Eugenius Papa IV. inhibuit districtè sub pœna peccati mortalis, ne prædictæ Sorores aliam recognoscerent pro Matre & Abbatissa, nisi quæ communi totius Conventus aut majoris & sanioris partis suffragio electa fuisset.

Sub hac Regulâ tam sanctè & piè traditâ à Summis

Pontificibus prædictæ Moniales hactenus pacificè vixerunt, & ſubjectæ regimini & ordinationi Generalis Ordinis ſancti Franciſci & ejus Provincialibus reſpectivè in Provinciis in quibus prædicta Monaſteria fundata erant, Matres ſuas & Abbatiſſas elegerunt liberè, & independenter ab omni poteſtate ſæculari, & iidem Generales & Provinciales pro tempore ejuſmodi electiones gratas & ratas habuerunt.

Nihilominus licèt quadringentorum & ampliùs annorum poſſeſſio eas ſecuras reddat, & nulli liceat contra Regulam ſemel à Summis Pontificibus traditam attentare, quædam Moniales pleræque Ordinis ſancti Benedicti, aulicis artibus & ſolo ſpiritu ambitionis ductæ, regimina prædictorum Monaſteriorum ambierunt, & litteras nominationis à Rege Chriſtianiſſimo, quas vulgò *Brevet* appellant, obtinuerunt.

Quæ quidem litteræ ſubreptitiæ & obreptitiæ omnino ſunt, & ſic nullam vim poſſunt habere.

Subreptio in eo conſiſtit, quòd verum dictarum Cuſtodiarum Franciſcanarum statum diſſimulaverunt: nam ſuppoſuerunt eſſe prælaturas & titulos Beneficiorum, licèt non ſint niſi ſimplices adminiſtrationes & officia clauſtralia, ut inferiùs demonſtrabitur.

Obreptio conſiſtit in eo quòd expoſuerunt Regem Chriſtianiſsimum hoc jus nominationis ſibi vindicare debere in vim Concordatorum dudum inter Sedem Apoſtolicam & felicis memoriæ Franciſcum Primum Francorum Regem initorum; quia prætendunt omnes omnino electiones abrogatas in partibus Gallicanis per prædicta Concordata, & in earum locum jus Regiæ nominationis

eſſe

esse subrogatum; quod quidem Curia Romana nunquam admisit in Monasteriis Monialium.

Deinde etiamsi Moniales in genere sub terminis Concordatorum comprehenderentur, tamen in exceptione §. per præmissa in dictis Concordatis adjecti omnino reperirentur, quia privilegium à Sede Apostolica per Bullas authenticas habent Custodem seu Abbatissam sibi eligendi. Porrò hæc privilegia semper à Sede Apostolica illæsa & intacta huc usque permanserunt.

Quæ quidem ut fiant dilucidiora, & omnibus pateant; primò attendenda est qualitas dictarum Custodiarum. 2°. Ius quod Regi potest competere in his Custodiis. 3°. Privilegia à Sede Apostolica Monialibus S. Francisci indulta, & rem totam brevi ordine texere, ita ut appareat evidenter jus hoc novum, quod hæ Aulicæ Abbatissæ introducere sub prætextu Regiæ nominationis conantur, libertati Canonicæ & Ecclesiasticæ prorsus adversari, nec posse cum Regulâ ab Vrbano Papa IV. traditâ, & ad instantiam Regum Christianissimorum in Galliis receptâ, ullatenus consistere.

Quoad primum. Harum Custodiarum qualitas præcipuè est è propriis Regulæ terminis definienda. Abbatissa seu Monastica Antistes nihil sibi peculiare sumit ex communi fundorum Monasterii proventu ac reditu, sed administratio bonorum temporalium debet esse penes œconomum seu Syndicum Laïcum, qui Procuratorio nomine, totius Conventus bona debet recipere & expendere in proprios usus Monialium, & qui de expensis & receptis rationem reddere tenetur.

Eadem Antistes nullis insignibus, quæ à jure Abbatissis

Ordinis ſancti Benedicti indulta ſunt, gaudet. Paupertas Evangelica & Ordo Seraphicus hæc exteriora dignitatis indicia reſpuit meritò, tanquam humilitati Chriſtianæ, quæ præcipuè in hoc Ordine commendatur, parum convenientia.

Abbatiſſa eſt tanquam prima inter pares; neque baculum, neque ſandalia, neque ulla alia indumenta diſtincta à cæteris Sororibus poteſt geſtare. Sola virtute ei licet inter alias fulgere; ſed quoad cætera, in omnibus par eſſe debet. In communi dormitorio debet decumbere, cum aliis vitam communem debet ita ducere, ut ſi præ infirmitate non poſſit cum aliis Regulam obſervare, ſtatim ſine moræ diſpendio ab officio ſuo abſolvatur: quod quidem ſpeciale eſſe in Ordine Franciſcanarum notarunt inter alios præcipuè Cardinalis Caietanus & Doctor Navarrus. Quod etiam bene aſtruit has Cuſtodias non poſſe unquam effici titulos Beneficiorum: nam nuſquam in jure *cautum invenietur* caſum infirmitatis eſſe cauſam legitimam ad arcendum Rectorem ſeu Prælatum alicujus Eccleſiæ aut Monaſterii à proprio regimine; imo potiùs ut videre eſt toto titulo, *de Clerico ægrotante & debilitato extra*, fructus Beneficii debent integri ſervari Clerico infirmo; & ſecundùm Innocentium Papam III. cujus decretum refertur in capite *ex parte*, ejuſdem tituli, ſi non ſit ſpes roboris & valetudinis, & Prælatus ad talem ſtatum adductus fuerit, ut præ infirmitate proprias functiones obire non poſſit; tunc ei Coadjutor dandus eſt, qui eum poſſit ſublevare. *Quia*, ut inquit idem Pontifex, *afflicto afflictio non eſt danda, ſed potiùs ipſius miſeriæ miſerendum.*

Vnde patet illud, quod ſpeciale ab Vrbano Papa IV. in Regula Franciſcanarum notatum fuit, Abbatiſſam cùm non poteſt vitam ducere communem, ſtatim ab officio ſuo abſolvendam, non ſine magna ratione introductum fuiſſe, ut intelligerent dictæ Matres ſe non tanquam Prælatas, aliis præfici, ſed veluti ſedulas & diligentes miniſtras omnibus aliis Sororibus famulari, & eis ſemper in vita ducenda communi, proprio exemplo præeſſe debere; ita ut ſtatim atque propria infirmitas eas ab his peragendis arceat, ab officio ſeu procuratione Sororum ſibi à Provinciali vel Generali poſt vota communia Conventus demandatâ, abſolvendæ ſint.

Ad hæc omnia poſſunt quædam adjungi adhuc è propriis Regulæ terminis excerpta.

Hæc ſunt officia merè clauſtralia, quæ non niſi ſimplices adminiſtrationes reverâ ſonant; nullam dant ſupra cæteras Sorores præeminentiam neque juriſdictionem. Sola cura Abbatiſſæ eſt de veſtitu Sororum, & de cæteris ad vitam neceſſariis. Quòd ſi cum Sororibus diſpenſandum ſit ſuper aliquâ Regulæ obſervantiâ, conſulendus eſt Provincialis ſeu Generalis Ordinis ſancti Franciſci, qui cum ipsâ diſpenſet. Quòd ſi aliqua Soror in Regulæ obſervantiâ defecerit, bene poterit ei mater aliquam pœnitentiam injungere, quæ non excedat metas juriſdictionis cujuſdam œconomicæ: ſed ſi defectus talis ſit, ut pœnam aliquam mereatur, adeundus Provincialis vel Generalis, qui de tali defectu debet inquirere, & poſtea, ut ei videtur, ſtatuere.

Quoad receptionem Sororum, nulla poteſt in Monaſterium admitti ſine licentiâ Provincialis aut Ge-

neralis. Confeſſores ab iiſdem deputantur, & nullibi in Regulâ juriſdictio Abbatiſſæ aſtruitur, imò paſſim deſtruitur, quia dum de ea fit mentio, ſtatim ſubjicitur; quod ad Generalem vel Provincialem reſpectivè pertinent correctio, reformatio, regimen & viſitatio: quæ verba optimè ponderanda, & excludunt juriſdictionem Abbatiſſæ. Sed ut nullum dubium ſuperſit, eadem Regula ſtatuit amotionem dictarum Abbatiſſarum eſſe fere penes arbitrium Provincialis vel Generalis, prout eis pro bono Religionis expedire noverint: quod bene etiam innuit non eſſe niſi Officia Clauſtralia & ſimplices adminiſtrationes, & non Præfecturas, ut illæ Abbatiſſæ aulicæ prætendunt: nam ſi eſſent Præfecturæ, prædictæ Abbatiſſæ non poſſent ita de facili amoveri, & non niſi cum cauſæ cognitione poſſent arceri. Regula ſtatuit è contra Abbatiſſam, quæ communem vitam ducere non potuerit, aut noluerit, à ſuo officio ſine moræ diſpendio debere abſolvi; quod fit ſolo Provincialis, Viſitatoris, vel Generalis judicio, ſine ullo judiciorum ſtrepitu; quæ omnia facilè evincunt illas Cuſtodias Franciſcanarum eſſe ejuſdem omnino conditionis ac qualitatis cum regimine virili Franciſcanorum. Quæ cùm ita ſint, ſi ſemel Cuſtodiæ Monialium dicti Ordinis Regiæ nominationi ſubjacerent, idem jus poſſet introduci circa Cuſtodias virorum ejuſdem Ordinis, quia reverâ nulla poteſt diſparitas inveniri; cùm hi Monialium cœtus eoſdem habeant cum viris Præfectos, ſeu Obſervatores & Adminiſtros tam Generales quàm Provinciales, per quos veluti quædam reſpublica ſub Summi Pontificis protectione & authoritate regitur, & cùm eidem Regulæ dictæ Moniales inſerviant, ac victu, veſte, formâ precationum

tionum, aliisque ritibus Franciscanos æmulentur, eosdemque sacrorum suorum ministros habeant. Vnde videre est quòd illud regiæ jus nominationis non bene cum dicta Regula conveniat, cùm palam sit quòd si semel Rex Christianissimus tales Abbatissas deligeret, non possent ampliùs ab officio suo absolvi per Generales & Provinciales dicti Ordinis, cùm præterquam quod indecorum esset facto Principis per inferiorem derogari, à supremis Galliæ Tribunalibus hæ destitutiones seu absolutiones rejicerentur; cùm usu invaluerit apud Gallos, quòd hæ Abbatissæ quæ regia nominatione gestiunt, non possint à suo regimine arceri, nisi de consensu ejusdem Regis Christianissimi, & sic à jurisdictione tum Episcoporum tum Abbatum ejusdem Ordinis quoad earum destitutionem immunes se jactent: quò fiet ut Generalis dicti Ordinis, seu ejusdem Provincialis, suâ propriâ in prædictas Moniales jurisdictione sine facto suo privarentur; quod æquitas non patitur, ut alteri jus quæsitum sine suo facto tollatur, & præcipuè cùm illud jus à Sede Apostolica mutuatur. Quamobrem in hoc de Summi Pontificis authoritate agitur, qui solus huic novitati potest pro sua pietate se opponere, cùm prædictæ Moniales non possint, cùm sint subditæ Regi Christianissimo, huic juri, licèt Regulæ quam professæ sunt prorsus adversario & contrario, resistere, ita ut cum Propheta exclamare cogantur, & ita supplicare apud Sedem Apostolicam,

Domine, vim patior, responde pro me.

Quoad secundum, quod spectat ad jus Concordatorum, facile est explicare.

Communi omnium supremarum Curiarum Galliæ con-

ſenſu, cui omnes authores Galli adhæſerunt, quotquot de Concordatis ſcripſerunt, pronuntiatum eſt jamdiu, Concordata nullum jus nominationis ad Monaſteria Monialium tribuere Regibus Chriſtianiſsimis. Huc uſque Sedes Apoſtolica ita ſenſit, nec unquam admiſit dictas nominationes, inviolabili Curiæ Romanæ ſtilo hactenus obſervato. Revera Concordata nullatenus comprehendunt Moniales, quia electiones quæ ſublatæ inveniuntur, ſunt hæ in quibus ſervabatur forma capitis *Quia propter*. & quarum electionum confirmationes in regno ſolemniter peti conſueverant. Inde factum eſt ut Decanatus Eccleſiarum Cathedralium & Collegiatarum, etſi plerique Electivi à Capitulo & Confirmativi ab Epiſcopo non ſubſint Regiæ nominationi, quia licèt in eorum electione ſervetur aliquando forma capitis *Quia propter*, illud non eſt de eſſentia talium electionum, cùm Concilium Lateranenſe, de quo illud caput deſumptum eſt, hanc formam præcipuè non adinvenerit, niſi pro Prælaturis, quarum occurrente vacatione Eccleſia dicitur viduata Paſtore.

Porrò certum eſt quòd in electione Monialium non ſervatur ullatenus forma capitis *Quia propter*; ſed illa quæ eſt determinata à cap. *Indemnitatibus de electione & electi poteſtate in 6*. Vnde patet quòd ſi jus Concordatorum ſervetur, Rex Chriſtianiſsimus nullum jus poſsit habere ad Monaſteria Monialium.

Multa poſſent adduci, quæ adhuc faciunt pro Monialibus; ſed cùm illud per ſe ſit notorium, ampliori probatione non indiget.

Ipſimet Reges Chriſtianiſſimi illud ſæpius litteris ſuis patentibus apud Summos Pontifices proteſtati ſunt, ſe

nullum jus ad nominationem Abbatiſſarum Monialium in vim Concordatorum habere.

Franciſcus I. de facto voluerat nominare ad certa Monaſteria Monialium Ordinis ſancti Benedicti, ſed ejus nominationes ſemper reſpuit Summus Pontifex. Nihilominus ſub prætextu Indulti Apoſtolici, quod ei Clemens Papa VII. conceſſerat, quo privilegia eligendi in Concordatis ſpecialiter reſervata ſuſpenderat duntaxat ad vitam dicti Regis Franciſci I. idem Rex voluit nominare ad Monaſteria Monialium, prætendens eadem debere comprehendi ſub nomine Privilegiatorum; ſed is ſenſus non placuit Sedi Apoſtolicæ, & Paulus Papa III. & poſt ipſum Iulius Papa III. abſolutè terminis Concordatorum inhærentes, rejecerunt illas nominationes regias ad Monaſteria Monialium.

Res eò deducta eſt temporibus Iulii Papæ III. ut excanduerit contra Henricum II. Regem, ex eo quòd attentaret ad Monaſteria Monialium; quod impulit dictum Regem Chriſtianiſſimum litteras ſuas patentes ad eundem Summum Pontificem mittere, quas ſtatim in arcano ſuo Conſilio homologari & publicari juſſit, quibus proteſtaſtatur ſe nolle nec ſenſum nec terminos dictorum Concordatorum prætergredi, immo velle in toto regno eadem Concordata ſervari ſecundùm eorum tenorem; ſecundùm quem tenorem declarat ſe non intendere nominare ad Monaſtici Ordinis capita, dignitates Eccleſiarum Cathedralium, & præcipuè ad Cœnobia Virginum.

Mediante hac declaratione idem Iulius Papa III. conceſſit eidem Henrico II. prorogationem ejuſdem Indulti conceſſi à Clemente VII. ad vitam Franciſci I. pro ſuſpentione privilegiorum eligendi.

Pius Papa IV. idem Indultum concedere noluit Carolo IX. nisi sub iisdem modificationibus & limitationibus contentis & comprehensis in Litteris patentibus Henrici II. quibus præcisè declaraverat se nolle nominare ad Monialium Monasteria ; & ideo dictus Pius Papa IV. curavit in suis Bullis extendi de verbo ad verbum tenorem Litterarum Henrici II.

Curiæ supremæ Regni Franciæ sæpius in orationibus commonitoriis quas habuerunt ad Reges Christianissimos , fideliter exposuerunt Concordata nullam iis dare facultatem nominandi ad Monasteria Monialium, & omnes authores Galli, Carolus Molinæus, seu *Caballinus*, Rebuffus , & Chopinus idem senserunt, & in scriptis suis verè & firmiter sustinuerunt. Multoties in Senatu Parisiensi & in magno Regis Consilio lata sunt Arresta contra nominatas à Rege ; & electis à Monialium Conventu possessio adjudicata , ipso Procuratore Regis Christianissimi annuente. Contigit tamen temporibus Henrici III. Regis Francorum , cùm tunc Gallia intestinis Religionis dissidiis laboraret , nec facile esset ad Summum Pontificem recurrere , quòd idem Henricus III. ægrè ferens à Iudicibus suis sperni eas quas nominatio sua commendabat, voluit de facto sibi tribuere jus nominandi ad Monasteria Monialium ; & cùm vix illud stabiliri prævideret publicâ Declaratione , quia jus publicum difficile erat violari palam & apertè , advocavit secretò duos Præsides & Consiliarios magni sui Consilii , & eis declaravit se velle nominare ad Monasteria Monialium , ideo se eos appellasse , ut deinceps de sua intentione certiores facti & pleniùs informati , se gratiores præberent erga Moniales quas nominaret

nominaret, & illis poſſeſſionem adjudicaret, quoties inter electas à Conventu Monialium controverſia de poſſeſſorio apud eos moveretur.

Licèt ipſi Iudices magni Conſilii ægrè tulerint ejuſmodi declarationem, tanquam juri Monialium prorſus contrariam, tamen quia is rogaverat, qui & imperare poterat, tandem coacti ſunt deſervire in ſuis judiciis Regio placito: ſed quia adjecerant in regiſtro ſecreto, in quo prædictam declarationem verbalem inſcribi de mandato Regis fecerant, quòd Regi ſupplicaretur, ut intentionem ſuam declararet, utrum vellet comprehendere omnia omnino Monaſteria Monialium, nec aliqua excipere, in quibus ſi admitteretur nominatio Regia, poſſent inſequi multæ difformitates contrariæ ſtatui prædictarum Regularium: ſubinde idem magnum Regis Conſilium, ex animo & ſenſu Principis, ut refert Chopinus author Gallus qui his temporibus vivebat, judicavit Monaſteria Cordigerarum ſeu Francifcanarum non ſubjici Regiæ nominationi; & nonobſtante prædictâ Declaratione verbali factâ anno 1580. judicavit pro electis à Conventu, contra nominatas à Rege. Et ita eo tempore quo invecta eſt nominatio Regis in Monaſteria Monialium Ordinis ſancti Benedicti, Cuſtodiæ Franciſcanarum ab eadem immunes & liberæ declaratæ & pronunciatæ ſunt ab eodem magno Regis Conſilio. Reges Chriſtianiſſimi deinceps abſtinuerunt à tali nominatione in dictis Monaſteriis Ordinis ſancti Franciſci.

Non refert hîc indagare ulteriorem progreſſum Regiæ nominationis in Monaſteria Monialium Ordinis ſancti Benedicti, ſed certum eſt quòd Curia Romana nunquam

D

admisit prædictas nominationes, tanquam factas in vim Concordatorum. De hoc usu præclarum extat testimonium, quod eò luculentius, quò omni suspicione caret. Invenitur in Epistolis Cardinalis d'Ossat, missis ad Henricum IV. dum legatione fungeretur Romæ. Hæc epistola refertur lib. 7. epist. 261. Testatur idem Cardinalis, Reges Franciæ nullum jus habere nominandi ad Monasteria Monialium, & litteras nominationis quæ diriguntur ad hoc ad Summum Pontificem, nullatenus recipi nec admitti ab Officiariis Curiæ; & harum litterarum hunc solum usum esse, ut Ambasciator Regis Christianissimi, qui in Curia degit, permittat sollicitatori in Curia expeditionem Bullarum in favorem nominatæ à Rege per verbum *expediatur*; & hoc facto remittitur littera nominationis in partibus tanquam cassa & inutilis ad obtinendas Bullas à Pontifice.

Nemo de hoc usu dubitabit, qui stilum Curiæ noverit, qui adhuc hodie servatur: nam semper in Bullis Monialium adjicitur clausula, *dummodo majoris partis seu duarum partium ex tribus assensus accedat*: unde supponitur vel prævia electio, vel saltem requiritur in executione dictarum Bullarum, majoris partis consensus, in quo privilegium electionis non omnino spernitur & destruitur, imò aliquatenus conservatur. Sed quia nullæ Moniales possunt habere facultatem resistendi in partibus Franciæ ei, quæ à Rege nominata, Bullis Apostolicis nititur: hæc clausula, *dummodo majoris partis seu duarum partium ex tribus accedat assensus*, nihil operatur, & sic contra intentionem & voluntatem Summi Pontificis accidit, ut hodie indirectè & hac viâ, sine ullâ Sedis Apostolicæ participatione, plera-

que Monaſteria Monialium Ordinis ſancti Benedicti Regiæ nominationi in partibus ſubjecta inveniantur.

Sed hactenus Cuſtodiæ Franciſcanarum ab illo ambitu immunes Fuerant, quod facilè patebit per Regiſtra Cancellariæ Apoſtolicæ, ubi nullæ Bullæ proviſionis à quadringentis annis & ampliùs de iiſdem Cuſtodiis à Sede Apoſtolica conceſſæ inveniuntur.

Remanſerunt enim in pacificâ & quietâ poſſeſſione eligendi ſibi Matres, quæ à Generali Ordinis ſancti Franciſci, vel ejus Provinciali reſpectivè probatæ ſunt: & ſic videre eſt jus novum, quod invehere aliquæ Aulicæ Abbatiſſæ conantur, nullo titulo ſuffultum, & Concordatis ac Regulæ prædictarum Monialium prorſus adverſari: & niſi tali novitati via per authoritatem Sedis Apoſtolicæ, paternâ quâ omnibus providet charitate, præcludatur, idem brevì in prædictis Monaſteriis Franciſcanarum continget, quod jam accidit in Monaſteriis Ordinis ſancti Benedicti, licèt longè deberent eſſe diſparis ſortis & conditionis.

Cùm ex his pateat jus nullum habere Reges Chriſtianiſſimos in dicta Monaſteria Monialium, longa & intacta poſſeſſio in qua hactenus Moniales ſancti Franciſci vixerunt, debet eas ſaltem tueri, cùm etſi jus ſtabilitum inveniretur per Concordata, libertatem potuiſſent reacquirere per ſpatium centum & ſexaginta annorum, qui ab anno 1516. quo prædicta Concordata publicata ſunt, uſque ad præſens tempus effluxerunt.

Iam ſi longa ætas authoritatem Religioni poteſt facere, proculdubio ſervanda eſt tam longæva poſſeſſio, præcipuè cùm Regulæ à Summis Pontificibus traditæ,

requirente Rege Christianissimo, innitatur.

Nunc de tertio agendum, in quo quæritur de privilegiis Monialibus Ordinis sancti Francisci concessis. Certum est privilegia eligendi in Concordatis reservata: legatur §. *per præmissa*, post titulum *de Regia ad Prælaturam nominatione facienda*, ibi expressissimis verbis à Regia nominatione excluduntur Monasteria & Ecclesiæ, quæ privilegium proprium eligendi Prælatum à Sede Apostolica obtinuerunt.

Porrò constat Bullam Vrbani Papæ IV. privilegium speciale cuilibet Monasterio tribuere eligendi Matrem seu Abbatissam; & progressu temporis pleraque Monasteria dicti Ordinis privilegia adhuc singularia à Summis Pontificibus habuerunt, ut videre est in Monasterio sancti Marcelli prope Parisios, in quo Bulla originalis Nicolai Papæ IV. invenitur, in qua prædictum Monasterium sub speciali Sedis Apostolicæ protectione suscipitur, & inter alia statuitur, quòd nulla inibi debeat Abbatissa constitui, nisi quæ communi Sororum suffragio electa fuerit.

Plerisque aliis Monasteriis idem omnino indultum est; unde apparet violari privilegium à Sede Apostolica concessum, si electio destruatur.

Iactent quantumlibet illæ Regiæ nominationis aucupes, privilegia eligendi abrogata esse, nusquam illud astruent; imò adhuc remanent in viridi observantia.

Effatum est Iurisconsultorum, quòd limitatio quæ in lege continetur, æquè firma sit ac ipsa lex. Itaque cùm exceptio inveniatur in Concordatis in favorem Monasteriorum & Ecclesiarum quæ eligendi privilegium à Sede

Apo-

Apoſtolicâ habuerunt , aut legem Concordatorum everti neceſſe eſt , aut prædicta privilegia] ſervari intacta.

Veritati hiſtoriæ repugnat, privilegia eligendi ullatenus abrogata, huc uſque Regiæ ordinationes ea adhuc locum habere declaraverunt , & reverâ Monaſteria quæ tale privilegium inventa ſunt habere, in privilegio eligendi conſervata ſunt pleriſque ſupremorum Tribunalium Franciæ Arreſtis.

Stilus Curiæ bene evincit etiam talia privilegia non ſublata cùm in omnibus Bullis quæ in Curiâ Romanâ expediuntur pro Beneficiis Conſiſtorialibus virorum , quæ ſine dubio ſubſunt Regiæ nominationi lege Concordatorum , ſemper hæc clauſula inſeritur, *quod illud jus nominationis habet locum ad Monaſteria privilegio eligendi non ſuffulta.* Sunt hæc ipſiſſima verba Bullarum , quæ pro Beneficiis Conſiſtorialibus Galliæ expediuntur, & quæ quotidie ad inſtantiam Regis Chriſtianiſſimi & de ejus conſenſu in regno ſuo executioni demandantur. Ex quibus patet quantùm aberrent à veritate hi qui privilegia eligendi à Sede Apoſtolicâ indulta volentes deſtruere, prædicant hæc abrogata eſſe de conſenſu Summi Pontificis. Vt, quod certum eſt in ea re, notum ſit omnibus , advertendum eſt Franciſcum I. Regem Francorum cùm videret nominationes ſuas ad Beneficia Conſiſtorialia virorum plerumque eludi per illa privilegia eligendi reſervata ſpecialiter in Concordatis, petiiſſe à Clemente Papa VII. ut illa privilegia omnino revocarentur: ſed noluit idem Pontifex

hanc revocationem concedere, & solummodo concessit suspensionem ejusmodi privilegiorum quoad viveret dictus Rex Franciscus I.

Idem Indultum suspensionis prorogatum est ad vitam Henrici II. Francisci II. & Caroli IX. sed nullatenus ad tempora aliorum Regum productum est. Vnde patet quòd illa privilegia pristinas vires resumpserunt, ex quo eorumdem suspensio cessavit. Et sic si jus spectetur Concordatorum, licèt prætenderetur Monasteria Monialium in iis comprehendi, certè Custodiæ Franciscanarum, quarum electio pertinet ad Conventum speciali Sedis Apostolicæ privilegio, à regia nominatione deberent eximi.

Ad hæc omnia accidit, quòd si regimen Sororum Inclusarum Minorum mutaretur hoc prætextu regiæ nominationis, necesse esset quòd Sedes Apostolica cum ipsis supra vota quæ emiserunt, dispensaret: nam formula voti determinata est ab Vrbano Papa IV. in prædictâ Regulâ, & inter cætera vovere debent Moniales, se in omnibus servaturas Regulam eis à dicto Vrbano IV. traditam. Itaque cùm de essentiâ Regulæ sit, ut electio pertineat liberè ad Conventum, confirmatio verò seu amotio ad Generalem Ordinis sancti Francisci, aut in ejus absentiâ ad Provincialem; non possunt aliam Matrem agnoscere sine manifestâ Regulæ infractione.

Ex his omnibus manifestum est, quòd regia nominatio non potest admitti in Monasteriis Sororum Inclusarum Ordinis sancti Francisci, nisi statim destrua-

tur earum Regula à Summis Pontificibus tradita, & ad hæc uſque tempora de conſenſu Regum Chriſtianiſſimorum in partibus obſervata.

Quod quidem repugnat omnino decretis ſacri Concilii Tridentini, quod vetat ne aliquid in Ordinibus Regularibus immutetur, quod Regulæ perfectionem poſſit tantiſper alterare: quia, ut ſenſerunt ſancti Patres in hoc Concilio congregati, ſi illa quæ ſunt fundamenta totius Regularis diſciplinæ non fuerint conſervata, totum corruat ædificium neceſſe eſt. *C.1. ſeſſ. 25. de Reform.*

Idem Concilium ſtatuit de electione Abbatiſſarum & Prioriſſarum Monialium, ne eligantur aliæ quàm ejuſdem Ordinis, quæ non ſint minores annis quadraginta, & quæ octo annis poſt expreſſam profeſſionem laudabiliter vixerint. Et adjicit, quòd ſerventur ſingulorum Ordinum vel Monaſteriorum conſtitutiones. *C.7. eodem.*

Porrò violantur apertè illa decreta ſacri Concilii per prædictas nominationes regias, non ſolùm quia per prædictas dicti Ordinis conſtitutiones jus eligendi Matrem ſeu Abbatiſſam pertinet ad Conventum, ſed etiam quia tales nominatæ à Rege Chriſtianiſſimo, quæ hodie Bullas proviſionis à Sede Apoſtolica ſubreptitiè obtinere conantur, non ſunt profeſſæ Ordinis ſancti Franciſci, ſed Ordinis ſancti Benedicti, quod reſiſtit omnibus juribus. Nam etiamſi jus illud nominandi poſſet tribui Regi Chriſtianiſſimo in vim Concordatorum, eadem lege teneretur nominare Sedi Apoſtolicæ ad Monaſteria Religioſos expreſsè profeſſos ejuſdem Ordinis, à quo dicta Monaſteria dependent.

Et reverâ quomodo poſſet præfici Monaſterio ſancti Franciſci Benedictina, quæ vitæ inſtituta Monialium nec novit nec experta eſt?

Quòd ſi illæ Benedictinæ prætendant ſe deſiderio vitæ arctioris ad Ordinem ſancti Franciſci velle tranſire, quis non videat ſe hoc vano prætextu velle illudere Sedi Apoſtolicæ, & ſuam ambitionem, & imperandi cupidinem improbam conari ſub illâ fictâ pietatis larvâ abſcondere?

Nam prætcrquam quòd pleræque ex dictis Abbatiſſis à proprio Monaſterio contra Interdictum Concilii Tridentini jamdiu abſunt, nec cum propriis Sororibus potuerunt proprium vitæ inſtitutum obſervare; ſi vellent reverâ converti ad vitam arctiorem, non deberent auſpicari à Præfecturis quas ſibi fingunt, ut dominentur. Lex Chriſtiana, & Regula ſancti Franciſci damnat tanquam indignas, eas quæ dominatum ambiunt: quomodo ergo poſſunt prætendere ſe ſpiritu & animo pietatis apud Sedem Apoſtolicam ſupplicare, ut in Ordinem Franciſcanarum recipiantur? His artibus & his præſtigiis Deo & ejus Vicario in terris non illuditur.

Sed ſi nulli mortali licet intimos cordis receſſus ſcrutari, ſaltem deberent illæ Benedictinæ ſe per multos annos tyrocinio juvencularum erudire in praxi Regulæ ſancti Franciſci, & non ſtatim irruptione quâdam factâ regimen ſupremum invadere in Ordinem quem non probaverunt. Intempeſtivæ illæ ad primatus Eccleſiæ evectiones à Canonibus & ab Eccleſiæ Patribus

ſemper

ſemper damnatæ ſunt. Cùm dixit Apoſtolus, *Nemini citò manum imponas*, præceptum dedit ut ſcirent omnes qui ad aliquod in Eccleſia miniſterium aſpirant, ſe debere diu antea probare, quia ſervus fidelis & prudens quis inveniatur, niſi ſe antea in his quæ ei ſunt peragenda talem exhibuerit.

Exclamat Auguſtinus ad Valerium : *Quid abſurdius quàm ei gubernacula tradere, qui remum tenere non novit.*

In ipſis militiis ſæcularibus hoc obſervatur, ut nullus ad aliquam præfecturam ſtatim evehatur; debet priùs erudiri in officiis inferioribus, nec ea ipſi Principes detrectant ut meliùs poſtea imperent.

Quæ plaga fiet Religioni Chriſtianæ, ſi non ſolùm libertas canonica deſtruatur, ſed etiam ſi tales Abbatiſſæ præficiantur in Monaſteriis Ordinis ſancti Franciſci? *Nulla ars*, inquit Hieronymus in epiſtola ad Ruſticum Monachum, *abſque magiſtro diſcitur.* Et ipſemet Euſtochium, Lætam, Pacatulam, Demetriadem, Cælantiam, Fabiolam virgines viduaſque informat & inſtruit ad cilicium, fletum, jejunium & caſtigationes. Sic tyrocinio monaſtico priùs Lætam virginem inſtitui voluit, *quia*, ut inquit, *erudienda eſt anima, quæ futura eſt templum Dei.* Dum loquitur deinde de iis quæ debent Monaſteriis Monialium præfici, non novitias & rudes adhuc in regulæ obſervantia requirit, ſed virgines veteranas, quæ jam emeritæ ſint, *& quæ alias doceant & aſſueſcant exemplo ad orationes & Pſalmos nocte conſurgere, manè hymnos canere, tertiâ, ſextâ, nonâ horâ ſtare, quaſi bellatrices Chriſti reddere ſacrificium veſpertinum.*

Videant hæ quæ Custodias Franciscanarum tanquam Præfecturas ambiunt, quod onus iis impositum sit: videant si se priùs ad cilicium & jejunium velint probare. Regula non nisi eis stramineas culcitras ad decumbendum permittit, non licet linea habere, lacerâ veste fune canabeo & nodis intertexto Franciscum ducem debent æmulari: paupertas ubique commendatur. *Plerique*, inquit Hieronymus, *Crucifixum adorant, sed nuditatem Crucifixi abhorrent.*

Faxit Deus ut hæ Abbatissæ, quæ sic regimen in Ordine Franciscano affectant, resipiscant, & videant quid agant. Recordentur quòd in quâ quæque Regulâ professa fuerit, in eâdem & judicabitur: & ideo usus invaluit, ut mortuis Regula in manibus deponatur, ut ante conspectum Divinæ Majestatis ita se exhibeant, ut rationem reddant de omnibus quæ voverunt. Hoc est ipsum quod omnes Moniales Ordinis sancti Francisci ita anxias reddit. Lubenter reciperent nominatas à Rege Christianissimo, si eis liceret: sed Regula eas admonet se nullam debere pro Matre seu Abbatissa recognoscere, nisi quæ nullâ subreptionis astutiâ aut violentiâ à communi Sororum Conventu electa fuerit.

Advertant etiam peregrinæ illæ Moniales, quæ Ordini sancti Francisci licèt advenæ præfici volunt, ne in reprobationem ponantur. Tremenda sunt Dei judicia, & investigabiles ejus viæ. Audiant adhuc Cyprianum lib. de habitu virg. *Dum evagari virgines volunt, virgines esse desinunt, furtivo dedecore corruptæ, viduæ antequam nuptæ, non mariti, sed Christi adulteræ.*

Recludantur in propria Monasteria. Vt in castris cuilibet militi sua est statio, è quâ non licet ei sine jussu summi ducis exire: ita in Claustris cuilibet Moniali sua sedes, & certæ ac distinctæ ab aliis functiones; cuilibet sectæ Monacharum sunt sua decreta, leges & regulæ quas debent observare, & secundùm quas judicabuntur. Benedictina secundùm Regulam sancti Benedicti, Franciscana secundùm Regulam sancti Francisci vivat. Sua cuilibet in suo Ordine à Deo designata est statio, è qua sine jussu ejusdem, aut ejus in terris Vicarii, non debet exire.

Non possunt ergo sedes suas mutare sponte, hoc utilitas Ecclesiæ non exposcit; cùm è contrà hæ mutationes non possint introduci sine magno ejus dispendio. Hoc non exigit Monasteriorum Franciscanarum necessitas, cùm illud non possit fieri sine Regulæ quam profitentur destructione: huc usque vixerunt pacificè sub talis Regulæ observantiâ, hanc professæ sunt, & secundùm eam se Deo publicè per vota solemnia dedicaverunt.

Hanc Regulam Summus Pontifex tradidit ad instantiam sancti Ludovici Regis Christianissimi. Quæ semel Deo dicata sunt, non debent ampliùs ulli novæ servituti subjici. Tam sanctus Pontifex, & Rex æquè pius ac sanctus communi voto dederunt Sororibus Inclusis Minoribus facultatem eligendi liberè, id est independenter ab omni potestate sæculari, proprias Abbatissas, confirmationem ejusmodi electionis concesserunt in perpetuum Generali Ordinis sancti Francisci, vel ejus Provincialibus.

Quomodo Rex Christianissimus poterit Pontificiæ & Regiæ donationi derogare? teneretur potiùs, si aliquis contra eam vellet attentare, eandem stabilire & confirmare. Bene Imperatores Romani voluerunt quòd illud quod semel Ecclesiæ à Principibus indultum est, firmum & inconcussum maneat, quia ut ipsimet agnoverunt, *sicut ipsa Religionis & Fidei mater perpetua est, ita ei concessum, servari debet illæsum.*

Leo & Anthemius, L. *Iubemus*, *Cod. de Sacrosctis Ecclesiis.*

Certè si licuisset dictis Sororibus Inclusis supplicare apud Regem Christianissimum, ipsemet pro sua justitia & pietate privilegium & Regulam à sancto Ludovico Rege Franciæ à sancto Pontifice expostulatam custodiri jussisset. Sed Regiæ Majestati hæ Aulicæ Abbatissæ non exposuerunt verum dicti Ordinis sancti Francisci statum, immo potiùs palam has Custodias esse veras Præfecturas prædicaverunt, ad quas Rex idem Christianissimus debet nominare in vim Concordatorum. Vnde sperant dictæ Sorores sancti Francisci, si semel de hoc per Summum Pontificem informetur Rex Christianissimus, cùm hæc sola via supersit, communi adhuc Sedis Apostolicæ & Regiæ Majestatis munificentiâ, id quod ab Vrbano Papa IV. & à sancto Ludovico receperunt, & huc usque fideliter custodierunt, se recuperaturas, & novo splendore Pontificium & Regium munus suscepturas.

Ex his patet quod non solùm agatur de dictarum Sororum causâ, sed de publico Religionis statu: nam si Regula semel à Summo Pontifice, Regis Christianissimi

nissimi precibus condescendente tradita, post quadringentos & amplius annos statim evertatur, nihil est quod in Ecclesiâ firmum & stabile possit inveniri. Nihil aliud efflagitant dictæ Sorores, quàm ut in qua Regula hactenus institutæ fuerunt, & pacificè vixerunt, liceat eis usque ad extremum vitæ spiritum degere. Sanctus Hieronymus ita contra novitates sui temporis invehebatur: *Cur post quadringentos annos & amplius docere nos niteris quod antea nescivimus? cur profers in medium quod Petrus & Paulus edere noluerunt sine ista doctrina, mundus Christianus vixit, illam senex tenebo fidem, in qua puer ego natus sum.*

Eadem hodie omnes Sorores Inclusæ cum lacrymarum effusione proferunt, consuetudinis amor magnus, & præsertim cum Religione, innititur; ad hæc usque tempora eas pius ritus adduxit, ut liberè Matres suas eligerent; petunt supplices, ut eis liceat vivere more suo, quia hanc libertatem eligendi à Summis Pontificibus & à Regibus Christianissimis habuerunt. Cur post quadringentos annos & amplius eas docere quod antea nescierunt? cur proferre in medium jus novum, quod tot sancti Pontifices, & tot Reges Christianissimi, etiam à tempore Concordatorum edere noluerunt? Sine illis nominationibus feliciter Ordo Franciscanarum floruit; illam senes tenebunt Regulam & fidem, quam juvenculæ & in tyrocinio Monastico susceperunt.

Hoc à Deo, cujus sunt sponsæ; hoc à Summo Pontifice ad ejus pedes provolutæ exposcunt; & in hoc

Regem Christianissimum tanquam suum authorem, cùm sit successor sancti Ludovici, appellant, & ab eo cum debitâ subjectione reliquias suæ libertatis & electionis quæ eis aufertur, reposcunt. Tot titulis suffultæ sperant quòd illæ novæ Abbatissæ probabunt quòd mendaces precatrices debeant carere impetratis.